

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. VIII - N. 2

1976

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO
PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1976

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

Decretum de Missa publice celebranda in Ecclesia Catholica pro aliis christianis
defunctis 75

Pontificia Commissione Decretis Concilii Vaticani II Interpretandis

Responsa ad proposita dubia 77

ACTA COMMISSIONIS

I.	Coetus specialis studii « De Lege Ecclesiae Fundamentalii »	78
I.	<i>Animadversiones ad canones in praecedenti sessione studii probatos</i>	80
II.	<i>Sequitur examen singulorum canonum novi schematis</i>	87
II.	Coetus de Magisterio ecclesiastico (De Seminariis)	108
I.	<i>Principia de erectione, de divisione et ordinatione Seminariorum</i>	109
II.	<i>Formatio spiritualis, intellectualis, pastoralis alumnorum</i>	116
III.	<i>De Seminariis et de disciplina</i>	120
IV.	<i>Novi canones</i>	124
III.	Coetus studiorum de iure poenali	166
I.	<i>De delictorum punitione generatim</i>	166
II.	<i>De lege poenali ac de paecepto poenali</i>	170
III.	<i>De subiecto poenalibus sanctionibus obnoxio</i>	175
IV.	De tutela iurium (schema transmissum)	183
	<i>Litterae transmissionis</i>	183
	<i>Praenotanda</i>	184

DOCUMENTA

I.	Prolusio Card. P. Felici in Univ. Navarrensi	201
II.	Oratio Card. P. Felici in Pont. Univ. Lateranensi	209
	Notitiae	217

in Seminario », an « omnes qui commorantur ». Unus Consultor rogat utrum regula valeat pro domesticis qui tota die in Seminario laborant, sed durante nocte extra Seminarium sunt. Alius Consultor aestimat dici posse « qui stabiliter commorant » (can. 1221). Alter Consultor declarat quaestionem competentiae relate ad visitantes Seminarium aliquius esse momenti. Unus Consultor solutionem remittit ad iuristas. Plures Consultores censem verba canonis « qui in Seminario sunt », magis convenire, quam alia quae proposita sunt. Retinentur ergo haec verba.

Canon 1370

Omnis Consultores censuerunt canonem supprimi posse.

Canon 1371

Secundum omnium Consultorum sententiam, retinenda est materia, sed in secunda parte, ubi de formatione agitur. Unus Consultor tamen exoptat ut alia verba adhibeantur. Proponit ut dicatur: « ... iudicio rectoris, auditio Consilio ... »; saltem in genere consulere debet, nisi casus sit urgens; in casu urgenti, solus rector decidere potest, sed relationem dare debet Episcopo.


Quaerit Relator utrum alia quaedam videantur. Aliquis Consultor aestimat affirmandum esse quod cura eorum sit habenda, qui dimissi sunt: ut ii veram colant vitam christianam; sperni enim possunt ab aliis personis. Respondet autem Relator hodie tale periculum contemptus non adesse.

Determinatur in fine quod materia in proxima sessione tractanda erit de recognitione canonum « de Seminariis ».

Conventus dd. 21-24 apr. 1969 habitu

Relator aliqua de schemate rerum dicendarum de Seminariis prioris sessionis repetit. Haec legislatio ponetur sub titulo generali « de clericis » cum locum proprium non habeat sub titulo « de magisterio ».

Ad methodum quod attinet, dicta in superiori Sessione Relator recolit. Tantum pro III parte, nempe de administratione bonorum, melius est textum Codicis sequi et videre quaenam remanere debeant.



Canon 1355

Necessarium est Episcopum media pro substantiatione Seminarii habere, sed Relator deleret § 3. Praevidentus est casus, notat unus Consultor, in quo plures Episcopi unicum Seminarium erigant, ita ut quisque pro rata parte provideat, sed, animadvertisit Relator, stipes et taxae debent remanere.

Canon 1356

Quoad § 1: aliquis Consultor censet omnia, quae in canone continentur, repetenda esse; secus, adiungit Relator, si non dicuntur Episcopus amplius ius non habet; verba tamen adaptanda sunt ad normam iuris. Alius Consultor notat quod utique res dicendae sunt modo magis generali, dummodo efficaciter provideatur Seminarii substantiationi. Posset dici, animadvertisit unus Consultor, quod omnis persona physica vel moralis quae administrationem habet, debet ad substantiationem Seminarii contribuere. Tamen, notat Relator, si textus supprimitur, potest dici omnes in Codicis elenco contentos non amplius teneri. Forsan hodie in Ecclesia, dicit aliquis Consultor, aliter res oeconomica tractari debet. Tamen saltem aliqua principia fundamentalia determinanda sunt de bonis temporalibus Seminarii, notat in fine Relator.

Quoad §§ 2 et 3: omnes convenient ut res Episcoporum Conferentiae relinquantur determinandae.

Canon 1357

Decernere spectat ad eum vel eos qui supremum regimen tenent.

Canon 1362

Unus Consultor notat hunc canonem extendi posse ad omnes qui ad divina ministeria sese praeparant; item aestimat quod adesse debet aliquod consilium administrationis; quod constare etiam laicis possit, adiungit aliis Consultor. Aliquis Consultor non videt necessitatem huius coetus vel administrationis consilii, quia Seminarii oeconomus Consilio administrationis totius dioecesis est submissus. Necessarium est, notat Relator, quia Seminarium personalitatem iuridicam canonicanam — et saepe etiam civilem — et administrationem propriam habet.

Post aliquam disceptationem, omnes conveniunt ut loco « De Seminariis » titulus inscribatur « De institutione clericorum ».

Relator textum parabit canonum, qui examini Consultorum submittentur.

IV. Novi CANONES

Deinde transitus fit ad disceptationem schematis canonum a Relatore parati.

Canon 1 (1352 C.I.C.)

« Ecclesiae officium est atque ius proprium et exclusivum eos instituendi qui ad ministeria ecclesiastica se praeparant ».

Redactio Codicis, notat Relator, nimis imperfecta videtur et censet innuendam etiam esse rationem cur Ecclesia hoc habeat officium et ius, quia scilicet societas suprema et perfecta. Sed alii censem sufficere quae dicuntur.

Post aliquam disceptationem circa dictionem « sacra ministeria », « ministeria et munia » et circa « se devovere intendunt » vel « se praeparant », Relator proponit ut dicatur « qui ut ad ministeria ecclesiastica deputentur se praeparant ». Placet suggestio Relatoris et canon probatur cum hac emendatione.

Canon 2 (novus)

« Auctoritates quae de clericorum institutione normas edant competentes sunt Sancta Sedes et praeterea, ad institutionem clericorum dioecesanorum quod attinet, Episcoporum Conferentiae regionis et districtus regionis atque Episcopi diocesani, ad normam canonum qui sequuntur, ad institutionem clericorum in Institutis religiosis aliisve equiparatis, Superiores Institutorum, ad normam Constitutionum ».

Unus Consultor petit ut mentio regionis et districtus omittatur, quia dicitur « ad normam canonum qui sequuntur » et in canone 6 illud denuo dicitur. Respondet Relator hic tantum enuntiari principium generale de competentia. Alius Consultor vellet ut « Episcopi dioecesanis » adiungatur « singuli vel coniuncti ». Relator quaerit an melius sit dicere « competentes sunt Sancta Sedes ... » vel « praeter

Sanctam Sedem ... ». Idem Relator proponit etiam ut loco « aliisve aequiparatis » dicatur « vel saecularibus »: placet omnibus.

Alicui Consultori redactio huius canonis non videtur satis expolita, sed aestimat ea quae ibi dicuntur valde bona esse. Alius Consultor notat ibi casum dari ad Conferentiae Episcoporum competentiam augendam. Sanctae Sedi tantum approbationem reservari circa ea quae a Conferentia statuta sunt. Magis differentiato modo tamen rem enunciaret. Animadvertisit etiam quod Conferentiae Episcopales non nimis gravare debent Conferentias districtus et Episcopos diocesanos singulos; neque nimis ad singula descendant Conferentiae Episcopales regionales, ita ut nullum spatium habeatur pro inceptis singulorum Episcoporum. Relator respondebat quod hoc canone tantum instantiae competentes indicantur. Unus Consultor censet quod dicere sufficit normas, a Conferentia statutas, postea a Sancta Sede recognoscendas esse. Non esse hic locum, notat alius Consultor, cum tantum instantiae competentes enuncientur. Notat idem Consultor textum, per ius commune, potestatem Apostolicae Sedis restringere tantum ad quaedam generaliora.

Textus, pro nunc, remanet uti est, addito « iuris et » post « ad normam », atque suffecto « eorum Superiorum » loco « Superiorum Institutorum ».

Canon 3 (1353 C.I.C.)

« § 1. Universae communitati christiana officium incumbit fovernarum vocationum, ut necessitatibus ministeriorum in Ecclesia sufficienter provideatur; in specie:

1° ipsi parentes christiani curent ut familiae cui praesunt ambitus spiritu fidei, caritatis et pietatis animatus sit, in quo germina vocationis oriri possint ac sustententur;

2° magistri atque omnes qui in puerorum iuvenumque institutione aliquam partem habent, etiam Consociationes iuvenum catholicae, in educationis ratione ad vocationes excolendas animum intentum habeant;

3° peculiari ratione sacerdotes, prae ceteris parochi, zelo apostolico ac propria vita sacerdotali laeto animo peracta, adolescentium animos ad ministeria sacra allектent, debita quidem semper cum prudenter eos ad vitam ministerialem amplectendam inducentes;

4º Episcopi, quorum maxime est de vocationibus provehendis curam habere, populum sibi commissum de momento ministerii sacri deque ministrorum in Ecclesia necessitate edoceant, incopta ad vocaciones fovendas, sustentent, atque quos ad divina ministeria vocatos iudicaverint omni ope adiuvent (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 2; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 11).

§ 2. Solliciti sint etiam sacerdotes, praesertim vero Episcopi, ut qui maioris aetatis viri ad ministeria divina sese vocatos aestiment, prudenter incitentur (stimulentur) ac debite praeparentur ».

Hic canon de vocationibus agit: canon unicus, notat Relator, ut quaesitus fuit. Est canon satis longus sed magni momenti. Alicui Consultori quaerenti utrum nihil de vocationibus in Coetu de Sacra Ordinatione statutum sit, Relator respondet ibi tantum affirmari curandum esse ut vocaciones habeantur.

Quoad § 1, 1º: uni Consultori quam maxime placet mentio in canone de vocationis sustentatione a familia, et praferret ut dicatur « facilius oriri possint ». Non placet verbum « oriri » alteri Consultori, quia elementi vocationis vestigium deficit, et operationis mere humanae impressio habetur. Sermo fieri posset, notant Consultores, de divina vocatione ita ut sensus naturalizationis vocationis ecclesiasticae tollatur. Relator proponit ut « in quo, Deo favente ... oriri ... » dicatur, sed non multum ei placet formula, quia agitur de recognoscendo Codice et non de tractatu theologico. Attamen non est semper possibile utrumque secernere, animadvertisit unus Consultor. Aliquis Consultoribus placet textus prout iacet. Unus Consultor tamen suggerit mutare verbum « oriri » cum « evolvi ». Contradicit Relator quia « evolvi » aliquem ortum supponit, et Consultor declarat se non insistere. Tandem aliquando omnes concordant de textu, qui probatur ut iacet, cum hac tantum emendatione: loco « familiae cui praesunt » dicatur « familiae suea ».

Quoad § 1, 2º: unus Consultor notat in decreto de institutione sacerdotali Concilium habere « praecipue Consociationes », hic autem affirmari « etiam », ita ut referatur ad magistros et alios. Placet aliis. Non nimis directe statuendum est finis Consociationum, notat alias Consultor, quia sunt Consociationes quae hunc finem non habent. Primus Consultor proponit ut verba Concilii adhibeantur (n. 2 decr. de institutione sacerdotali): « ut vocaciones divinas et sequi libenter valent ». Relator sequentem proponit formulam: « ita educationis rationem instituant quae sit ad iuvenum vocaciones excolendas ».

Aliquis Consultor notat quod verbum « iuvenum » potest omitti: quod placet aliis. Alius Consultor quaerit ut post « apta » adiungatur « etiam »: placet. Textus, cum emendationibus receptis, placet.

Quoad § 1, 3º: uni Consultori non placent verba « allectent » et « inducentes ». Potius quam « allectent », quia pro ipso allicere non est proprium, diceret « percipient ». Alter Consultor notat Concilium verbo « trahant » uti: quod verbum tamen nimis durum est, secundum sententiam Relatoris. Alii Consultori placet « allicere » non tamen « inducentes ». Explicat Relator quod modus quo allectantur determinatur, vita sacerdotali, nempe, et zelo apostolico. Hoc in casu, notat unus Consultor, propositionis subiectum ne sit « sacerdotes » sed eorum vita. Post aliquam disceptationem Relator textum qui sequitur proponit addendum post « peracta »: « adolescentibus eximium vitae ministerialis valorem ostendant, atque debita cum prudentia semper ad vocationes sacerdotales suscitandas, easque, si quas percipere existiment, operam dent ». Placet textus et integer numerus probatur.

Quoad § 1, 4º: unus Consultor desiderat quod idea exprimatur coordinationis inceptorum ad vocationes fovendas, quia saltem aliqua coordinatio haberi debet. Rem in praxi difficultem esse tenet alter Consultor, qui maximam difficultatem ex parte Religiosorum praevidebat, quia difficultas est in distributione vocationum ex parte Episcoporum. Alius Consultor de aliqua coordinatione refert ad quam pervenerunt Conferentia Episcoporum et Religiosi in sua Regione. Tertius Consultor citat n. 2 decreti conciliaris de institutione sacerdotali, qui haec habet « arctam omnium virium curare coniunctionem ». Quartus Consultor petit ut insuper addatur aliquid de sic dictis operibus vocationum; quae additio, notat quintus Consultor, fieri potest post « fo- veant ». Relator textum proponit secundum suggestiones factas, qui sic sonat: « ... incepta ad vocationes fovendas, opera praesertim ad hoc instituta suscitent, sustineant, ac, consiliis etiam initis cum aliis Episcopis necnon Superioribus Religiosis, coordinent, atque quos ad divina ... ». Placet omnibus textus et integer numerus approbatur.

Quoad § 2: unus Consultor proponit ut loco « maioris aetatis » dicatur « maturioris aetatis »: Placet.

Pro aliquo Consultore § 2 nimis generalis est. Necessarium esset aliquid de inceptis et operibus pro illis dicere. Aliqui Consultores et Relator notant aliquid haberi ubi de Ordine agitur et videbitur, si casus ferat, illa huc transferre. Pro uno Consultore verbum « incitentur » est nimis stringens. Alius Consultor notat Concilium uti verbo « adiu-

vare ». Relator proponit ut dicatur « prudenter verbo opereque adiuvantur »: placet. Textus probatur cum emendationibus admissis.

Canon 4 (novus)

« § 1. Prout id sinant locorum adiuncta, serventur ubi existunt Seminaria minora aliave instituta id genus, in quibus nempe, vocacionum fovendarum gratia, peculiaris formatio religiosa una cum institutione humanistica iuvenibus tradatur; immo, ubi id expedire iudicaverit Episcopus dioecesanus, Seminarii minoris similisve instituti erectioni provideat.

§ 2. In seminariis minoribus similibusque institutis, ubi exstant, admittantur iuvenes, virtute quidem praestantes, etiam qui sese ad sacra ministeria vocatos non aestiment.

§ 3. Nisi certis in casibus, de iudicio Episcoporum Conferentiae, adiuncta aliud suadeant, iuvenes quibus animus est ad sacerdotium se conferendi, ea ornentur humanistica et scientifica formatione, qua iuvenes in sua cuiusque regione ad studia superiora peragenda parentur; semper ea saltem studia peragant oportet quae ipsis, si ad alium vitae statum dein animum verterint, proficiant ».

Quoad § 1: unus Consultor aliquam habet difficultatem ex expressionibus « aliave instituta id genus » et « similis instituti ». Et hoc, dicit idem Consultor, valet praesertim pro § 2. Concilium haec habet « quae pro locorum adiunctis Seminariorum minorum quoque fini inserviunt » (*Decr. De institutione sacerdotali*). Respondet Relator expressionem « similia instituta » significare scholas apostolicas quae Seminarii minoribus assimilantur; tamen promittit pro proxima vice textum exhibere cum verbis Concilii. Pro nunc additur verbum « et scientifica » post « humanistica ».

Quoad § 2: unus Consultor suggestit ut loco « admittantur », dicatur « admitti possunt » ne textus videatur obligationem imponere eos qui non habent vocationem admittendos: placet. Alter Consultor notat hanc innovationem in iure esse, quia abolitae sunt Institutiones mixtae. Oportet autem ne res nimis extendatur, ad vitandos excessus praeteriti temporis. Circa necessitatem hoc admittendi, ex adverso insistunt Relator et aliqui Consultores. Aliquis Consultor deleret verba « ad ... vocatos non aestiment », sed, hoc modo, contradicit Relator, totus canon supprimeretur. Unus Consultor animadvertisit hoc admissum non esse ex. gr. in sua regione. Relator proponit ut dicatur:

« ... etiam qui vocationis ad sacra ministeria non sint consciī ». Aliquis Consultor quaerit ut « omnino consciī » dicatur, sed alius Consultor animadvertisit quod etiam qui se praeparant ad sacerdotium non sunt omnino consciī de propria vocatione. Aliqui Consultores quaerunt an necessarium sit in Seminariis admittere alios: si hoc fiat, qui iam ibi sunt, liberos non se sentirent: quapropter ipsis non videtur. Quaerunt insuper ut saltem adiungatur « iudicio Episcoporum Conferentiae ». Unus Consultor animadvertisit quod si admittuntur alumni qui non aestiment se ad sacra ministeria vocatos, non amplius haberemus Seminaria minora sed collegia, convictus vel alia huiusmodi. Aliqui Consultores et Relator insistunt, quia revera extant ista Seminaria. Relator proponit ut adiungatur, iuxta suggestionem aliquorum Consultorum, « si id de iudicio Episcoporum Conferentiae expediat ».

Unus Consultor quaerit an hoc modo pro Episcopis dioecesanis libertas habeatur iudicandi de situatione propriae dioecesis. Animadvertisit tamen alter Consultor conditiones easdem non esse pro unaquaque regione, ita ut Conferentia statuere possit an expediat vel non. Attamen alius Consultor notat decisiones Conferentiae Episcopos singulos non obligare. Tertius Consultor notat eos obligari decretis Conferentiae, si a Codice potestas confertur eidem Conferentiae. Relator proponit ut dicatur « si de iudicio Conferentiae Episcopalis regionalis vel districtus regionalis id expediat ». Hoc modo, animadvertisunt aliqui Consultores, si Conferentia id expedire aestimet, Episcopus potest, sed non tenetur, admittere; dum si a Conferentia vetatur, Episcopus non potest. Idem Consultores preeferunt ut remaneant verba « qui sese ad sacra ministeria vocatos non aestiment », pree « non sunt consciī », quasi admittatur vocatio obiectiva cuius non sint consciī.

Unus Consultor instat ut « expresse » vel « explicite » dicatur ante « non aestiment », et ut in concreto Conferentiae sibi responsabilitatem assumant. Notat insuper idem Consultor Seminarium collegium et scholam comprehendere; ad scholam etiam alii possunt admitti, non autem ad collegium. Si adsunt exceptiones, non est facienda lex pro exceptione. Cautē procedendum est, quia ius creator ad Seminaria ingredienda pro iis, qui ne speciem quidem habent vocationis. Relator instat ut stetur formulae priori. Suffragatione facta, expressio « non aestiment » placet quattuor Consultoribus et Relatori; « non sint consciī » placet duobus Consultoribus; unus Consultor indifferentem sese declarat. Admittitur ergo paragraphus uti iacet, cum emendatione « admitti possunt » loco « admittantur » et adiungendo « si id de iudicio Episcoporum Conferentiae expediat », post « ubi exstant ».

Quoad § 3: unus Consultor notat textum nimis de humanistica institutione agere. Respondet Relator quod norma videtur omnino necessaria quia Seminaristae eandem debent habere praeparationem quoad studia ac alii iuvenes, nisi in peculiaribus casibus Conferentia Episcoporum aliud statuat. Placet textus.

Canon 5 (1354, § 2 C.I.C.)

« § 1. Pro regula generali habeatur ut adolescentes, qui ad sacerdotium accedere intendunt, ad formationem spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria instituantur in Seminario maiori, sive per totum formationis tempus, sive, si de iudicio Conferentiae regionis ecclesiasticae aliud circumstantiae suadeant, per tres vel quattuor saltem annos.

§ 2. Extra Seminarium solummodo eandem formationem recipere possunt, ubi loci vel temporis adjuncta id requirant, in casibus ab Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae determinatis.

§ 3. Qui extra seminarium legitime morantur, ab Ordinario commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui invilget ut ad vitam spiritualem et ad disciplinam sedulo efformentur; curet etiam Ordinarius ut omnes qui ad sacra ministeria se praeparant illam inter se consuetudinem habeant, qua fraterna inter eos amicitia quam maxime foveatur ».

Pro regula habeatur, notat Relator, quod formatio intra saepa Seminarii tradatur; potest tamen Episcoporum Conferentia, cum singulis Episcopis, aliter decernere. Placet textus.

Canon 6 (1353, §§ 2 et 3 C.I.C.)

« Seminaria maiora habeantur sive pro ipsa dioecesi, ubi id fieri possit et expedit, sive pro variis simul dioecesibus, secundum Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae aut districtus regionalis aestimationem ».

Cum nulla sit animadversio textus canonis probatur sicuti iacet.

Canon 7 (novus)

« Seminaria legitime condita ipso iure personalitate iuridica in Ecclesia gaudent ».

Textus placet.

Canon 8 (1358 C.I.C.)

« § 1. In quolibet Seminario habeantur rector, qui, generale eius moderamen curans, ei praesit, atque magistri seu professores, scientia et virtute praestantes, qui, composita inter se de earum coordinatione ratione, varias disciplinas tradant alumnis in Seminario lectiones attendentibus.

§ 2. In quolibet Seminario duo saltem adsint spiritus directores, qui, servato quidem omnino secreto de iis quae ad singulos spectant, communibus consiliis inter se habitis, de spirituali alumnorum formatione curam habeant.

§ 3. Duplex habeatur pro iis quae vitam Seminarii internam respi-
ciunt coetus deputatorum:

1º alter constituatur, cuius membra ab Episcopo dioecesano, auditio Consilio presbyterali, elegantur sacerdotes, quos Episcopus consulere potest, immo et in negotiis maioris momenti, uti sunt admissio et dimissio alumnorum, audire debet;

2º alter constituatur, cuius membra modo ab Episcoporum Conferentia statuto, designentur aliqui Seminarii professores et alumni, quique ad disciplinam praesertim in Seminario servandam rectori ope-
ram praestet.

§ 4. Praeterea habeatur coetus deputatorum pro bonorum tem-
poralium administratione, cuius membra ab Episcopo, auditio item Con-
silio presbyterali, elegantur clerici vel etiam laici in re oeconomica peri-
ti; hoc munere fungi non possunt rector et oeconomus et directores
spiritus Seminarii necnon Vicarii generales et episcopales dioecesis.

§ 5. Deputati, de quibus in §§ 3 et 4, ad sexennium elegantur,
sed iterum ad aliud sexennium eligi possunt, nec sine gravi causa
amoveantur ».

Quoad § 1: Relator hanc quae sequitur proponit formulam:

« In quolibet Seminario habeatur rector atque, si alumni in ipso Seminario studiis se dedant, etiam magistri seu professores, qui, composita inter se de earum coordinatione ratione, varias disciplinas tradant ». Placet textus omnibus.

Quoad § 2: Relator animadvertisit quod in ultima sessione unus Consultor instituit ut plures in Seminario essent directores spiritus. Alius

Consultor dicit duo servanda esse, nempe unitatem directionis et libertatem conscientiae et hoc modo habebatur, in Codice et in praxi, unus director et plures confessarii. Aliqui Consultores animadvertisunt quod non omnia Seminaria debent habere duos directores spiritus; possunt hoc munere fungi etiam professores, ita ut unus nominetur et alii ab alumnis sint selecti. In multis dioecesibus unum tantum invenire difficile est. Necessaria insuper est aliqua libertas etiam pro directione spiritus et non tantum pro confessione. Relator sequentem textum proponit: « ... unus saltem ..., relictam libertatem alumnis adeundi alios sacerdotes, qui de eorum formatione spirituali curam habeant ». Placet. Relator et unus Consultor animadvertisunt de collaboratione inter eos loqui non debere.

Quoad § 3: Relator proponit ut verba, in n. 1°, « uti sunt admissionis ... alumnorum » deleantur, quia Episcoporum Conferentiae est hanc et alias determinationes statuere: placet.

Ad n. 2°: unus Consultor animadvertisit in eadem linea positos estetum sacerdotes, professores tum alumnos. Dicatur saltem alumnos tantum habere votum consultivum et quidem tantum in Seminario Maiori. Consentit unus Consultor, dum aliis notat in Seminariis suae nationis alumnos habere votum tantum consultivum. Relator proponit ut textus ita modifetur: « ... cuius membra, secundum Episcoporum Conferentiae praescripta, designentur aliqui Seminarii professores, immo vel, in Seminario Maiori etiam aliqui alumni, qui ad disciplinam ... ». Relator observat hoc modo libertatem relinquendi alumnos admittendi vel non. Primus Consultor declarat se satisfactum non esse: historia docet progressum et regressum adesse et videbitur quid in futuro erit. Melius est si S. Congregatio de Educatione Catholica normas conficiat quae publici iuris fiant. Textus relinquitur uti est cum emendatione a Relatore proposita et postea adhuc res considerabitur.

Quoad § 4: disceptatio habetur circa naturam huius coetus deputatorum an vocem consultivam vel deliberativam habeat; ac utrum rector et praesertim oeconomus debeant coetum saltem participare. Unus Consultor petit ut adiungatur quod in fine cuiuslibet anni ratio dati et accepti huic coetui submittatur. Relator proponit ut hoc sensu canon redigatur quod coetus deputatorum valeat « determinare rationem reddituum et expensarum et audiendus sit pro praecipuis et momentosis rebus, pro alienatione bonorum immobilium et rerum pretiosarum ».

Quoad § 5: adiungatur post « § 3 », citationem « n. 1° », ita ut

habeatur « Deputati, de quibus in § 3, nn. 1^o et 4^o, ... », quia alumni non degunt in Seminario per sexennium. Placet.

Canon 9 (1361 C.I.C.)

« § 1. Praeter confessarios ordinarios, alii regulariter ad Seminarium accedant confessarii, atque, salva quidem Seminarii disciplina, integrum semper sit alumnis quemlibet confessarium sive in Seminario sive extra illud adire.

§ 2. In decisionibus ferendis de alumnis ad ordines admittendis aut e Seminario dimittendis, numquam confessiorum votum exquiri potest ».

Quoad § 1: aliqua habetur disceptatio circa opportunitatem dicendi, quoad confessarios, « quemlibet sacerdotem « vel » sacerdotem ab Ordinario approbatum », vel adhuc « ad confessiones audiendas habitem ». Relator videt formulam, quae in alio coetu habetur. § 2 placet.

Conventus dd. 7-10 apr. 1970 habitus

Relator, ineunte Sessione, animadvertisit quod canones qui iam recogniti sunt in priori Sessione denuo considerari debent cum aliis qui sequentur de Seminariis, prae oculis habita *Ratio Fundamentalis Institutionis Sacerdotalis* quae interea, die 6/X/70, a Sacra Congregatione de Educatione Catholica publici iuris facta est.

Titulus erit « de Institutione Clericorum » uti probatum fuit in superiori sessione et locum tenet tituli Codicis, qui « de Seminariis » inscribitur.

Relator principia generalia memorat quae iam in anteacta Sessione ab huius coetus Consultoribus concordata sunt de hac materia. Idem Relator insuper notat in Codice tantum quaedam generaliora exprimenda esse, alia ad S. Congregationem de Educatione Catholica, ad Episcoporum Conferentias atque ad singulos Episcopos esse remittenda.

Canon 1

Circa propositionem, quam in suo voto scripto aliquis Consultor habet, introducendi, scilicet, aliam paragraphum de necessitate pro unaquaque natione stabiendi « unas normas peculiares de formación sacerdotal » a Conferentia Episcopali promulganda et ab Apostolica

Sede approbanda, Relator notat quod ad hanc quaestionem quod attinet, invenitur in can. 2 locutio « ad normam sacrorum canonum ». Antea criteria ponenda sunt generaliora et postea explicite de hoc sermo erit. Placet textus canonis prout iacet.

Canon 2

Relator notat quod in hoc canone qui potestatem habent in materia de clericorum institutione enuntiantur. Aliqui praeoptant ut loco locutionis « Sancta Sedes », locutio « Sedes romana », vel « prima Sedes » adhibeatur; attamen, cum locutio in ipso schemate Legis Ecclesiae Fundamentalis servata sit, etiam hic servari potest. Unus Consultor praeferit quod loco « et praeterea » dicatur « atque » et loco « atque » dicatur « necnon », ut magis ligamen et solidarietas appareat inter diversas auctoritates quae in materia de institutione clericorum potestatem habent. Relator proponit ut locutio « vel saecularibus » deleatur: concordant alii. Placet textus cum emendationibus propositis.

Aliquis Consultor petit ut post « ad institutionem ... in Institutis religiosis » adiungatur « quod spectat ». Uni Consultori sufficit particulam « quoad » adiungere.

Canon 3

Quoad § 1: In Coetu de Sacramentis, notat Relator, aderat textus de vocationibus, tamen opportunum visum est tantum unum canonem habere; et quidem heic inserendum. Textus approbatus fuit etiam ab illo coetu Consultorum. Non omnia, prosequitur idem Relator, quae in textu habentur proprie et stricte iuridica sunt, attamen Codex hodie etiam characterem pastoralem prae se ferre debet, et omnes qui in Concilii Vat. II documentis enumerantur uti de vocationibus responsabiles, etiam hic recensentur; adiungenda insuper est citatio tum n. 2 Decreti *Optatam totius*, tum n. 11 *Apostolicam actuositatem*. Placet.

Quoad § 2: placet, sed unus Consultor proponit ut quae in can. 972 continentur huic canoni adiungantur, connexionis materiae causa. Respondit Relator rem tractatam esse in coetu de ordine, qui locutionem « inde a teneris annis » suppressit. Aliqui Consultores proponunt ut in textu dicantur « in tota Ecclesia », vel « pro tota Ecclesia » ad ideam visionis universalis Ecclesiae inserendam.

Canon 4

Quoad § 1: post « fovendarum gratia » adiungatur « provideatur ut »; et loco « provideat » dicatur « prospiciat ».

Ad mentem unius Consultoris a Relatore textus mutatur, ita ut ad formationem humanisticam et scientificam quod spectat libertas detur eam etiam extra Seminarium tradendi.

Quoad § 2: unus Consultor aliquam circa hanc paragraphum difficultatem habet, quia ipsi videtur aliqua contradictio vel saltem discrepantia adesse cum n. 13 *Rationis fundamentalis*, quam negat Relator. Alicui Consultori sensus idem fundamentaliter videtur esse, etsi *Ratio fundamentalis* magis in argumento diffunditur.

Iuxta prioris Consultoris propositum textus canonis nimis ad alia educationis instituta Seminaria assimilare videtur, ex eo quoque quod ingressus in Seminaria permittitur etiam iis qui vocationis signa non prae se ferant. Idem Consultor in sua haesitatione insistit et suffragium fert negativum. Aliis vero textus placet.

Quoad § 3: proponente Relatore, locutio « se conferre » cum « ut ad sacerdotium admittantur » mutatur, res enim etiam a Superiore pendet. Placet.

Canon 5

Placet canon, una admissa emendatione in § 1: loco « regionalis » dicatur « regionis ». Tamen quoad § 1: alicui Consultori locutio « pro regula generali » minime placet, quia eius usus idem sonat ac Seminarii momenti exinanitio. Idem Consultor proponit ideo ut supprimatur dictio illa et textus canonis a verbo « adulescentes » incipiat.

Quoad § 2: Idem Consultor de exceptionibus, quae iuxta textum innumerae admitti poterint, difficultatem movet et proponit ut dicatur « in casibus peculiaribus ». Alia difficultas ab eodem Consultore moveatur ex locutione « ubi loci vel temporis adiuncta »: non esse ad rem sustinet, quia potius ad personas quam ad situationem § 2 sese refert. Esset insuper tollendum incisum illud, ne Conferentiae Episcopales ipsae supprimere Seminaria possint invocando loci adiuncta. Sufficeret expressio « ubi personarum adiuncta id requirant ». Alius Consultor proponit ut dicatur « pro certis alumnis id requiratur, in casibus ab Episcoporum ... » vel « iuxta regulas ab Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae determinandas ».

Canon 6

Placet, tamen unus Consultor petit ut in textu canonis inseratur idea de fraterna dioecesani et religiosi cleri cooperatione, sicuti in secunda parte n. 21 *Rationis fundamentalis* habetur.

Canon 7

Nulla fit animadversio et canon placet prouti est.

Canon 8

Animadvertisit Relator quod de iis quae in Codice continentur in can. 1355 et sequentibus, ubi de redditibus pro Seminariorum sustentatione agitur, in fine tractatio fiet: ordo rerum logicus sibi vult quod antea de generalibus, postea de institutione, dein de redditibus sermo sit.

Placet § 1. Unus Consultor proponit emendationem lexicalem « qui ratione inter se coordinatione composita » loco « composita ... coordinatione ratione ».

Adiungatur insuper canon de requisitis ex parte moderatorum Seminarii, rectoris nempe et professorum. Mentio fiat etiam, ex suggestione alicuius Consultoris, de vice-rectore, qui rectori operam dat.

Placet § 2.

Quoad § 3: ad n. 1º unus Consultor quaerit ut mentio fiat de omnibus Episcopis quorum dioecesim Seminarium, quando agitur de interdioecesano, inservit.

Proponente Relatore, sequens textus probatur: « alter constitutatur, cuius membra ab Episcopo dioecesano, aut si agatur de Seminario interdioecesano ab Episcopis quorum interest, auditio ..., quos Episcopus Episcopive consulere possunt, immo ... debent ».

N. 2º placet: corrigatur « praestet » cum « praestent ». Aliquis Consultor exoptat ut nomen inveniatur pro singulis coetibus de quibus in nn. 1º et 2º huius paragraphi mentio fit. Locutio « ad disciplinam servandam » nimis limitans appareat, iuxta mentem eiusdem Consultoris qui petit ut verbum « servandam » supprimatur; forsitan sufficeret ut sermo fieret de opera praestanda pro aliquibus stabiliendis regulis, quae observari debent.

§ 4 placet: etiam in hac paragrapho, post verba « ab Episcopo » incisum adiungatur « aut si agatur de Seminario interdioecesano ab Episcopis quorum interest », uti factum est in § 1.

§ 5: Unus Consultor mallet quod deputati ad quadriennium eligantur propter rationes in voto scripto allatas, sed declarat se non insistere. Res manet prouti iacet. Placet.

Canon 9

Canon placet prouti sonat.

* * *

Resumitur consideratio textus schematis canonum a Relatore parati. De alumnis sermo instituitur a can. 10 usque ad can. 12; deinde in cann. 13-14 tractatur de institutione sacerdotali in genere; de formatione spirituali in cann. 16-18; de institutione doctrinali a can. 19 usque ad can. 26; de institutione pastorali in cann. 27-30. De disciplina generali Seminarii agitur in cann. 31-34; de Seminarii sustentatione in cann. 35-38.

Canon 10 (C.I.C. 1363)

« § 1. Ad Seminarium ab Episcopo dioecesano (vel Superiore Instituti perfectionis competenti) admittantur tantummodo iuvenes qui, attentis eorum dotibus humanis et moralibus, spiritualibus et intellectualibus, eorum valetudine physica et psychica atque conditione familiae, necnon eorum recta voluntate, habiles iudicantur qui ministeriis pastoralibus stabiliter sese dicent (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 6).

§ 2. Antequam recipientur, documenta exhibere debent de susceptis baptismate et confirmatione aliaque quae, secundum praescripta Institutionis sacerdotalis Rationis in regione vigentis, requiruntur.

§ 3. Qui ex alio Seminario vel ex aliquo Instituto perfectionis dimissi sunt aut sua sponte discesserunt, ne admittantur, nisi prius Episcopus dioecesanus a rectore Seminarii aut Superiore Instituti notitias obtinuerit de causa eorundem dimissionis aut discessus ac de eorum indole, moribus et ingenio, atque certo compererit nihil in eis esse quod Dei ministris minus conveniat; quas notitias Superiores rogati, secundum veritatem suppeditare debent ».

Cum hoc canone, animadvertis Relator, sermo incipit de alumnis eorumque institutione sacerdotali prius in genere, dein spirituali, doctrinali et pastorali. Tamen aliqui praemittuntur canones ubi agitur de

requisitis pro iis qui in Seminario accipi poterunt et de aliquibus quaestib; conesis cum admissione et dimissione Seminarii alumnorum. Ita ex. gr. agitur de ab aliis a Seminariis dimissis; de attendenda valedidine psychica et physica; de iis qui sua sponte recedunt; de illegitimis et sacrilegis; de habenda ratione eorum familiae.

Insuper, adnotat Relator, semper supprimitur locutio quae in Codice habetur: « onerata eorum conscientia » cum potius ad moralem, quam ad ius, pertineat. Item vitandum est ut sermo fiat de secreto, quia amore secretorum accusamur.

Redactio canonum, quae nunc recognitioni submittitur, est forsan aliquantulum prolixa, tamen, animadvertis idem Relator, cum de principiis generalibus agatur, formulatio magis ampla melius est ut adhibeatur.

In § 1 supprimantur verba « vel Superiore ... competenti », quia, ubi de Religiosis, tractabitur; et in fine § 1 indicetur n. 6 decreti conciliaris *Optatam totius*, una cum n. 39 *Rationis fundamentalis* S. C. pro Catholica Institutione.

§ 2 placet: loco « requiruntur » dicatur « requirantur ».

§ 3 placet: loco « Instituto perfectionis » dicatur « Instituto religioso ».

Unus Consultor memorat decretum *Consiliis initis* diei 12 iulii 1941, de ex-Seminaristis qui denuo Seminarium ingredi cupiunt, et decretum *Solemne* diei 12 iulii 1957, qui de ex-seminaristis religiosis tractat, qui ingredi exoptant Seminarium dioecesanum. Post decreti *De Episcoporum munib; promulgationem* Sacra Congregatio pro Institutione Catholica quaequivit an sustineretur obligatio Ordinarii recurrendi ad Sedem Apostolicam pro admittendis in Seminario alumnis qui, sive ex alio Seminario sive ex religiosis, dimisis, provenirent. Sacra Congregatio, responso a Secretaria Status, die 23 martii 1967, Prot. 2083/67 accepto, quod illa memorata decreta in vigore manerent, supradicta de creta mentibus iterum mandavit. Ideo idem Consultor quaerit an cogitatum sit hac de re, annon, quia multae in praxi oriuntur difficultates ex earum dispositionum inobservantia.

Iuxta sententiam alterius Consultoris textus § 3 huius canonis elementa pro necessaria certitudine assequenda satis continet. Alius Consultor petit an dispositiones quae in decretis supra memoratis trahuntur diversa sint ac illae quae in hac paragrapho habentur. Notat primus Consultor mentionem de recursu ad Sanctam Sedem pro illis

admittendis alumnis in nostro textu non adesse. Alter Consultor proponit ut addantur verba « de iis rebus fusius agant Conferentiae Episcopales ». Quod placet aliis.

Canon 11 (novus)

« Si id ad alumnorum pleniorum institutionem maturioremve ad sacros Ordines praeparationem opportunum aestimaverint, Episcoporum Conferentiae decernere valent ut candidati, sive omnes, sive, secundum iudicium Episcopi dioecesani, aliqui, probationi pro tempore determinato subiificantur, et quidem aut expleto curriculo studiorum philosophico-teologico, post receptum nempe ordinem diaconatus, ad normam can. (de sacra ordinatione), aut etiam ineunte vel decurrente eodem studiorum curriculo » (cf. *Ratio fundamentalis*, n. 42).

Huius canonis redactio concordat cum n. 42 *Rationis fundamentalis* et remittit ad can. 11, § 2 Coetus de Sacramentis, ubi Episcopis facultas tribuitur statuendi ut post expletum studiorum curriculum diaconi per congruum tempus in cura pastorali partem habeant, diaconalem exercentes ordinem, antequam ad presbyteratum promoveantur. Placet.

Circa motiva quae in primis lineis canonis adducuntur unus Consultor animadvertisit quod sive in *Ratione*, sive in decreto *Optatam totius*, n. 12 aliquid aliud profertur quod bene est ut inseratur, id est: « et ad profundorem reddendam formationem spiritualem ». Adhibeat ideo formulatio quae in n. 12 citati decreti invenitur. Et insuper motivum probationis in initio ponatur.

Canon 12 (novus)

« Antequam alumnis Seminarii ordinationes sacrae conferantur, rector Seminarii de eorundem idoneitate et aptitudine ad vitam ordini congruentem ducendam inquisitionem instituat, audiendo eorum parochos, alios quoque sacerdotes, immo vel delectos laicos, collectasque notitias transmittat Episcopo dioecesano, cuius est de candidatorum idoneitate iudicare » (cf. *Ratio fundamentalis*, n. 41).

Unus Consultor petit ut melius determinentur sacerdotes, praeter parochum, et laici, qui de idoneitate, aptitudine ordinandorum audiri possunt.

Proponente Relatore, loco « alios » dicatur « aliosque qui eosdem bene noverint ». Notat insuper idem Relator locutionem ad ea quae in Coetu de Sacramentis dicta sunt, ubi de Ordine fit sermo, respondere.

Alter Consultor quaerit num non expedit ut magis pressius indicetur quod Episcopi est ultimo de candidatorum idoneitate iudicare. Respondit Relator quod revera iam in textu res ita est, quia Episcopus est qui iudicat, dum alii elementa pro iudicio solummodo praestant. Placet totus canon cum supradicta emendatione.

Unus Consultor notat forsan tautologiam haberi inter « idoneitas et aptitudo » de quibus sermo est in textu canonis. Negat alter Consultor, quia idoneitas est aliquid radicale: qui est idoneus potest non esse aptus.

Canon 13 (novus)

« § 1. In singulis regionibus ecclesiasticis, sicut et in provinciis ecclesiasticis quae ad regionem ecclesiasticam non pertinent, habeatur *Institutionis sacerdotalis Ratio*, ab Episcoporum Conferentia, attentis quidem normis a supra Ecclesiae auctoritate latis, statuenda et a Sancta Sede approbanda, novis quoque adjunctis, approbante item Sancta Sede, accommodanda, quia institutionis in Seminario tradendae definiantur summa principia atque normae generales necessitatibus pastoralibus uniuscuius regionis, vel provinciae, aptatae.

§ 2. Normae Rationis de qua in § 1 serventur in omnibus cleri dioecesani Seminariis tum dioecesanis tum interdioecesanis regionis, vel provinciae ecclesiasticae pro qua statuuntur » (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 1, *Ratio fundamentalis*, n. 1).

Relator in mentem Consultorum optata revocat circa canones de institutione sacerdotali et principia fundamentalia et directiva, quae in Relatione Conv. a. 1968 huius Coetus suggesta sunt. Textus canonis a Decreto conciliari *Optatam totius* sumptus est et n. 1 *Rationis fundamentalis* correspondet.

Quoad § 1 unus Consultor petit ut etiam in singulis ecclesiasticis provinciis quae ad aliquam regionem ecclesiasticam non pertineant, *Institutionis sacerdotalis Ratio* habeatur. Placet. Adiungatur verbum « singulis » post « sicut et in ». Placet tota § 1.

Quoad § 2: alicui Consultori haec paragaphus inutilis videtur: inutilis quia omnino evidens. Concordat Relator, qui, tamen, opinatur quod melius est ut remaneat cum textus in Decreto *Optatam totius* habeatur. Alius Consultor praefert ut textus remaneat, claritatis causa: quod abundant non vitiat, et interpretatio ipsius paragraphi magis clara evadit.

Insuper, notat Relator, in § 2 obligatio affirmatur. Placet igitur ut remaneat textus § 2 prouti est.

Canon 14 (novus)

« Habeat insuper unumquodque Seminarium Ordinationem propriam (*Règlement, Lebensordnung, Regolamento, Rule of Life, Reglamento*), ab Episcopo dioecesano aut, si de Seminario interdioecesano agatur, ab Episcopis quorum interest, probandam, qua normae Institutionis sacerdotalis Rationis, de qua in can. 13, adiunctis particularibus accommodentur ac pressius determinentur quae disciplinae praesertim capita ad alumnorum cotidianam vitam et totius Instituti ordinem spectant » (*Ratio fundamentalis*, nn. 2 et 25).

Cum nulla animadversio habeatur, textus canonis prout iacet probatur. Quaerit tamen unus Consultor ut deleantur verba « *Règlement ... etc.* ». In Codice non aderunt, notat Relator.

Canon 15 (novus)

« Alumnorum in Seminario formatio spiritualis ac institutio doctrinalis et pastoralis harmonice componantur atque ad id ordinentur ut iidem maturitatem humanam, uniuscuiusque indoli convenientem, acquirant atque animi fortitudine in fide vivenda et testanda ac evangelica caritate emineant, atque ita apti evadant ut viva Aeterni sacerdotis instrumenta efficiantur qui, Dei servitio ac hominum ministerio pastorali totaliter sese devoentes, mirabile Christi opus salutis persequi valeant » (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 12; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 8, 11 et 12).

Hoc canone principium generale statuitur, sicut Consultores in Conv. a. 1968 rogaverunt, animadvertisit Relator. Forsan textus dici potest nimis theologicus; attamen, opinatur idem Relator probari potest, cum sacerdotis figurae elementa tradantur. Placet, sed unus Consultor quaerit ut post « maturitatem humanam » addatur « et christianam ». Ipse insuper preferret quod textus canonis verbis n. 4 *Optatam totius* constet, ita ut sacerdotis definitio, vel descriptio, evadat magis completa.

Canon 16 (novus)

« § 1. Institutio spiritualis, quae cum doctrinali et pastorali arcte coniuncta sit oportet, ita impertiatur, ut alumni spiritu Evangelii reapse

imbuantur et intima totius vitae consortione configurentur Christo, qui non venit ministrari, sed ministrare (cf. *Mt* 20, 28; *Decr. Optatam totius*, n. 8; *Ratio fundamentalis*, n. 44).

§ 2. Prae oculis habito fine pastorali totius formationis ministerialis, ita instituantur alumni ut secundum totum hominem maturescant et gratiam baptismalem, qua homo elevatur, ad perfectionem evolant; illas excolere discant virtutes quae in hominum consortione pluris fiunt et ipsa caritate christiana requiruntur; formentur ad sinceritatem, assiduam iustitiae curam, in promissis fidem, in agendo urbanitatem, in colloquiis modestiam cum caritate coniunctam, ad spiritum fraterni servitii, operositatis, ad cooperationem cum aliis, ita quidem ut ad harmonicam conciliationem inter bona humana et supernaturalia pervenire valeant (cf. *Decr. Optatam totius*, n. 11; *Decr. Presbyterorum Ordinis*, n. 3; *Ratio fundamentalis*, nn. 45 et 51).

§ 3. Imbuantur alumni amore Ecclesiae Christi, Pontifici Romano, Petri successori humili et filiali caritate devincti atque proprio Episcopo tamquam fidei cooperatores devotique adhaerentes et sociam cum fratribus operam praestantes; per vitam in Seminario communem, atque per amicitiae coniunctionisque necessitudinem cum aliis excultam praeparentur ad unionem communitatis dioecesani Presbyterii, cuius in Ecclesiae servitio erunt consortes » (cf. *Decr. Presbyterorum Ordinis*, nn. 8 et 9; *Ratio fundamentalis*, n. 47).

Huius canonis textus e decreto conciliari *Optatam totius* sumptus est, et cum eis quae in *Ratione fundamentali* continentur congruit.

Quoad § 1: Relatori quaerenti an S. Evangelii citatio servanda sit in textu, omnes negative respondunt Consultores, cum, hodie praesertim, textus citatus de solo sacerdotis servitio sociali declaretur et melius sit tantum de formatione spirituali sermonem in hoc canone instituere. Et ideo ultima paragraphi verba expunguntur. Convenitur etiam ut mutetur « consortione » cum « ordinatione ». Unus Consultor proponit ut verba « et pastorali arcte coniuncta » tollantur cum iam sint in praecedenti canone: tamen non insistit. Cum alii sint contrarii, textus remanet prout iacet.

Quoad § 2: aliquis Consultor proponit ut post « pree oculis » adverbium « constanter » adiungatur. Placet aliis. Relator quaerit an enumeratio virtutum servanda sit. Et post aliquam disceptationem omnes convenient ut verba « formentur ... cum aliis » supprimantur. Placet § 2 cum emendationibus probatis. Iuxta aliquem Consultorem

aliquae res in textu canonis non satis exprimuntur, vel saltem alio in loco essent exprimendae: id est: *a*) de relatione ad mundum spiritu apostolico et missionario; *b*) de sacerdotis sanctificatione per ministerium; et insuper quaerit *c*) an sit satis dictum de caritate.

Quoad § 3: Relator, quoad verborum usum, notat « cooperatores » de sacerdotibus dici et « adiutores » de diaconis. Animadvertis unus Consultor seminaristas considerari non posse iam uti cooperatores vel adiutores, neque tale ius sibi tribuere posse. Alter Consultor ad hoc vitandum proponit ut ante « Episcopo » adiungatur verbum « praeparentur »: cui assentient Relator et plures Consultores. Textus itaque emendatus hoc modo sonat: « Ita formentur alumni ut amore Ecclesiae Christi reapere sint imbuti, Pontifici Romano ... ». Placet. Tamen unus Consultor dicit se magni facere quod radix huius amicitiae exprimatur, quae in n. 47 *Rationis fundamentalis* « sacramentali fraternitate » indicatur.

Canon 17 (C.I.C. 1367)

« § 1. Celebratio Eucharistica, quae communione sacramentali consummatur, centrum sit totius vitae Seminarii, ita ut alumni, ipsam Christi caritatem participantes animi robur pro sua vita spirituali et apostolico labore ex hoc ditissimo praesertim fonte hauriant (cf. *Ratio fundamentalis*, n. 52).

§ 2. Formationi ad cultum Eucharisticum iungatur formatio ad divinum officium, quo Dei ministri, nomine Ecclesiae pro toto populo sibi commisso, immo pro universo mundo, Deum deprecentur (cf. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 5; *Ratio fundamentalis*, n. 53).

§ 3. Institutionis sacerdotalis Ratione foveantur quoque quae venerando Ecclesiae usu commendata sunt pietatis exercitia, uti sunt meditatio cotidiana, SS. Sacramenti adoratio, Rosarii mariani recitatio aliave quorum exercitio alumni spiritum orationis acquirant atque vocationis suae robur consequentur (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 8).

§ 4. Ad Sacramentum Paenitentiae frequenter accedere assuescant alumni, et unusquisque habeat directorem spiritualem, liber quidem electum, cui confidenter conscientiam aperire possit (cf. *Ratio fundamentalis*, n. 55).

§ 5. Singulis annis alumni exercitiis spiritualibus vacent, ratione et modo in Ratione Institutionis determinatis ».

Placet § 1.

Quoad § 2: uni Consultori textus non sat perspicuus videtur et proponit ut post « divinum officium » adiungatur « persolvendum ». Verbum non placet alii Consultori, quia recitationem materialem nimis sapit. Tandem aliquando convenitur ut textus remaneat prout iacet.

Quoad § 3: omnes convenient de pietatis exercitiorum enumerazione suppressa et loco « quoque » dicatur « etiam ». Unus Consultor querit cur dicatur « Institutionis ... foveantur » et non « in Seminario foveantur pietatis exercitia ».

Placet § 4.

Quoad § 5: post « Institutionis » adiungatur « sacerdotalis ». Placet.

Canon 18 (novus)

« De oneribus quae ministris Ecclesiae propria sunt alumni debite reddantur certiores, nulla vitae sacerdotalis difficultate reticita; ad servandum statum coelibatus, quem qui libere amplectantur solos Ecclesia latina ad sacerdotium admittit, aptis mediis praeparentur eumque ut peculiare Dei donum in honore habere discant » (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 10; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16; PAULUS VI, Litt. Enc. *Sacerdotalis coelibatus*, 24 iun. 1967: A.A.S. 59, 1967, pp. 657-697).

Unus Consultor praefert ut canon in duas paragraphos dividatur, ita ut formatio ad coelibatum peculiariter affirmetur. Convenient alii. Textus igitur, proponente Relatore, ita est: § 1. De oneribus ... reticita; § 2. Ad servandum ... amplectantur soli in Ecclesia ... ». Placet.

Canon 19 (novus)

« Institutio doctrinalis tradenda id intendit ut alumni, una cum cultura generali necessitatibus loci ac temporis accommodata, amplam atque solidam acquirant in scientiis sacris doctrinam, ita ut, propria fide inde fundata et nutrita, Evangelii doctrinam hominibus sui temporis apte ratione eorundem ingenio accommodata nuntiare valeant » (cf. Decr. *Optatam totius*, nn. 13-17; Const. past. *Gaudium et spes*, n. 58, 62; Decr. *Ad gentes*, n. 16; *Ratio fundamentalis*, n. 59).

Canonum textus de formatione doctrinali, clericorum, animadvertisit Relator, confectus est habita ratione de Consultorum optatis et criteriis concordatis in anteacta Sessione (a. 1968) huius Coetus, necnon de his quae in *Ratione fundamentali* continentur inde a cap. IX.

Uti pro institutione spirituali etiam hic ponitur prius canon generalis, quo ipsius doctrinalis institutionis finis exprimitur, scilicet quem formatio doctrinalis intendere debet.

Ad repetitionem vitandam, unus Consultor proponit ut loco « accommodata » dicatur « consentanea ». Placet.

Canon 20 (C.I.C. 1364, 2° et 3°)

« § 1. Licet alumni, ad normam can. 4, § 3, ad Seminarium accedere valeant tantum post adeptam humanisticam et scientificam formatiōnem, haec eorundem formatio, prout id expedire videatur, prioribus praesertim curriculi studiorum annis, in Seminario, compleatur, secundum praescripta Institutionis Rationis in regione vigentis.

§ 2. Eadem Institutionis Ratione provideatur ut alumni non tantum accurate lingua patria sint edocti, sed ut congruam habeant cognitionem linguae latinae necnon alienarum linguarum, quarum scientia ad eorum formationem, temporis ac loci adiunctis convenientem aut ad ministerium pastorale futurum exercendum necessaria aut utilis videatur ».

Placet § 1; sed unus Consultor, loco « prout id expedire videatur », ut adaequate idea exprimatur, proponit ut ante « ad Seminarium » dicatur « ordinarie », vel melius « si formatio humanistica et scientifica non est sufficiens ».

Placet § 2.

Canon 21 (C.I.C. 1365)

« Quae in ipso Seminario ordinantur studia philosophica et theologica, sive, iuxta Institutionis Rationem successive sive coniuncte peragantur, saltem sexennium completum complectantur, ita quidem ut tempus philosophicis disciplinis dedicatum integrum biennium, tempus studiis theologicis deditum integrum quadriennium adaequet » (cf. *Ratio fundamentalis*, nn. 60, 70 et 76).

Canon respicit studiorum disciplinae philosophicae et theologicae durationem. Relator mutationes verbales proponit ratione stilistica: « sive successive ... peragi possunt; eadem completum saltem sexennium ... ». Placet.

Canon 22 (novus)

« Incipiente curiculo studiorum philosophico-theologicorum, alumni tradatur generalis, per congruum tempus protracta, introductio in

mysterium Christi et historiam salutis, qua quidem, disciplinis philosophica et theologica apte compositis, alumni studiorum ecclesiasticorum sensum, ordinem ac finem pastoralem conspiciant simulque ad propriam vitam universam fide fundandam iuventur » (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 14; *Ratio fundamentalis*, nn. 61 et 62).

Placet textus uti propositus, sed unus Consultor animadvertisit quod Concilium tria indicavit motiva pro studiis philosophicis et theologicis seminaristarum, nempe: ut habeant ideam curriculi studiorum; ut in fide firmentur; ut amorem vocationis concipient et amore in vocatione fundentur. Haec omnia in n. 62 *Rationis fundamentalis* describuntur. In textu canonis desinit tertium motivum et idem Consultor proponit ut ante « fide » adiungantur « necnon ad propriam vocationem », vel melius, sicuti habetur in citata *Ratione* « ad propriam fidem fundandam atque ad vocationem sacerdotalem penitus intelligendam et prudentius amplectendam ».

Praeplacet textus propositus uti est aliis. Idem Consultor praecise insistit ex certitudine quam sibi comparavit visitatione apostolica in quadam natione peracta.

Canon 23 (novus)

« Philosophica institutio, quae innixa sit oportet patrimonio philosophico perenniter valido, cuius testes sunt praeclari philosophi christiani, sed et rationem habeat requiritur philosophicae investigationis progredientis aetatis, ita tradatur ut alumnorum formationem humanam reapse perficiat eorumque mentis acutiem provehat, atque eos ad studia theologica persolvenda necnon ad ministeria apostolica obeunda appetiores reddat » (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 15; Const. past. *Gaudium et spes*, n. 44, 59; Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10; Decr. *Ad gentes*, n. 16).

Canon specifice de philosophica institutione tractat. Unus Consultor proponit ut ante verbum « testes », inseratur « magistri ». Pro aliquo Consultore sufficit « testes », sed non insistit. Relator proponit ut dicatur « cuius magistri et testes praesertim sunt ... ». Concordant alii. Loco « persolvenda » dicatur « perficienda ». Placet canon cum emanationibus propositis.

Canon 24 (C.I.C. 1365 § 2)

« § 1. Institutio theologica, in lumine fidei, sub magisterii ductu, ita impertiatur, ut alumni integrum doctrinam catholicam, divina Revelatione innixam, percognoscant, propriae vitae spiritualis reddant alimento eamque, ministerium exercentes, rite annuntiare ac tueri valent (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 16).

§ 2. In Sacra Scriptura, quae universae theologiae veluti anima esse debet (cf. LEO XIII, Litt. Enc. *Providentissimus Deus*, 18 nov. 1893: A.S.S. 26, 1893, p. 283), peculiari diligentia erudiantur alumni; congrua praevia introductione praemissa, methodo exegeseos initientur ac ita edoceantur ut totius Sacrae Scripturae conspectum acquirant (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 16; Const. *Dei Verbum*, n. 23; *Ratio fundamentalis*, n. 78).

§ 3. Lectiones habeantur Theologiae dogmaticae, positivae atque speculativae, textibus Sacrae Scripturae semper innixa; itemque lectio-nes Theologiae moralis et pastoralis, Liturgiae, Historiae ecclesiasticae, Iuris canonici necnon aliarum disciplinarum auxiliarium atque specialium, ad normam praescriptorum Institutionis sacerdotalis Rationis ».

Specific canon de theologica institutione tractat. Placet.

Canon 25 (C.I.C. 1366)

« § 1. Ad magistri munus in disciplinis philosophicis, theologicis et iuridicis, ab Episcopo aut ab Episcopis quorum interest, auditio coetu deputatorum Seminarii, de quo in can. 8, § 3, 1°, ii, ceteris paribus, no-minentur qui laurea doctorali potiti sunt in Universitate studiorum aut Facultate a Sancta Sede recognita.

§ 2. Distincti totidem nominentur magistri ad docendam S. Scrip-turam, Theologiam dogmaticam, Theologiam moralem, Historiam ecclesias-ticam, Ius canonicum aliasque, quae propria methodo tradendae sunt, disciplinas ».

Quoad § 1: Relator, ex antecedenti propositione alicuius Consultoris, proponit ut textui mentio de Religiosis adiungatur, qui ad normam sua-rum Constitutionum licentiam docendi donati sunt: quod aliis placet; ideoque post « recognita » dicatur « aut si agatur de Religiosis ... ». Unus Consultor vellet ut post « disciplinis ... iuridicis », « et pastorali-bus » adiungatur. Notat tamen Relator hucusque Facultatem quae pasto-

ralem specificē respiciat, erectam non inveniri sed cum disciplinis theologicis cumulari. Placet totus canon.

Aliquis Consultor notat in *Ratione fundamentali* etiam de professorum collegio, deque rectoris consultatione mentionem fieri, ideoque sibi opportunum videri in textu, post « audito coetu deputatorum » ... adiungatur « et consulto rectore et collegio professorum ».

Canon 26 (novus)

« § 1. Magistri in disciplinis tradendis de intima universae doctrinae fidei unitate et harmonia iugiter solliciti sint, ut unam scientiam, nempe fidei et Evangelii, alumni se discere experiantur; quod ut aptius obtineatur, adsit in Seminario qui integrum studiorum ordinationem moderetur (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 5, 17; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 16).

§ 2. Curent ut universa institutio doctrinalis tradatur ratione ingenio ac indoli uniuscuiusque populi propriis accommodata.

§ 3. Edoceant alumnos ita ut et ipsi habiles fiant qui aptis investigationibus propriis quaestiones scientifica methodo examinent; instituantur igitur exercitationes, in quibus, sub moderamine magistrorum, alumni proprio labore studia quaedam persolvere discant ».

Quoad § 1: propter difficultatem quam plures Consultores movent contra expressionem « nempe fidei et Evangelii », convenit ut haec verba deleantur, eo vel magis quod iam antea de iisdem tractatum est. Placet tota § 1.

Placent etiam §§ 2 et 3.

Aliquis Consultor praefert quod simul cum studio privato personali etiam labor in coetu commendetur. Animadvertis, insuper, terminum « exercitationes » univocum non esse et melius esse ut aliquid dicatur de variis exercitationum modis, ita ut terminus « exercitatio » sensum quam maxime latum habeat. Alii Consultores proponunt ut dicatur « exercitationum modi », et quod loco « in quibus » dicatur « quibus ».

Canon 27 (novus)

« Licet universa alumnorum in Seminario formatio pastoralem finem persequatur, institutio stricte pastoralis in eodem ordinetur, qua alumni edoceantur quae, attentis quoque loci ac temporis necessitatibus, ad mi-

nisterium Dei populum docendi, sanctificandi et regendi exercendum pertinent principia et artes » (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 4).

In Codice, notat Relator, de institutione pastorali sermo tantum est in § 3 can. 1365, dum in textu qui nunc proponitur aliqua saltem principia exponuntur, quae a decreto conciliari *Optatam totius* mutuata sunt. Ut iam antea dictum est, primus canon finem generalem indicat. Placet textus canonis.

Canon 28 (novus)

« § 1. Diligenter instruantur alumni in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant, praesertim in arte catechetica et homiletica exercenda, in cultu divino et sacramentis celebrandis, in pastorali cum hominibus, etiam non catholicis vel non creditibus, commercio habendo, in paroecia administranda atque in ceteris pastoralibus muneribus adimplendis.

§ 2. Instituantur in variis efficacioribus apostolatus formis, necessitatibus loci ac temporis aptatis (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 20; Decr. *Christus Dominus*, nn. 17-18; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 9).

§ 3. Edoceantur alumni de universae Ecclesiae necessitatibus, de quaestionibus oecumenicis, de missionalibus, necnon de aliis, socialibus quoque, in variis terrarum partibus urgentioribus » (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 20; Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 17, 23; Decr. *Christus Dominus*, n. 6; Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 39; Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 4; PAULUS VI, Litt. Enc. *Populorum progressio*, 2 apr. 1967: A.A.S. 49, 1967, p. 257 s.).

Quoad § 1: unus Consultor proponit ut inseratur mentio de directione spirituali sicut in *Ratione fundamentali* (n. 94), ubi praecise dicitur « directionem spiritualem pro variis statibus vitae ». Cui assentit alius Consultor, dum Relator insertionem non opportunam reputat.

Aliquis Consultor proponit ut dicatur « in pastorali commercio habendo cum hominibus pro variis statibus vitae ».

Post aliquam disceptationem convenitur ut post « in pastorali » addantur verba « attenta etiam eorum conditione propria ». Placet.

Placent §§ 2 et 3.

Canon 29 (C.I.C. 1365 § 3)

« Ut apostolatus exercendi artem in opere ipso etiam addiscant, alumni, tum studiorum curriculo decurrente tum feriarum tempore, praxi pastorali initientur per oportunas, sub moderamine sacerdotis periti habitas, exercitationes, alumnorum aetati et locorum condicioni aptatas, de iudicio Episcopi, determinandas » (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 21).

Proponente aliquo Consultore, loco « tum studiorum ... tum feriarum » dicatur « sive ... sive ». Placet canon cum emendatione proposita.

Canon 30 (novus)

« Quo formatio neo-sacerdotum etiam post Seminarium perficiatur Episcoporum Conferentiae, si id expedire iudicaverint, in Institutionis Ratione, statuere valent ut iidem per annum aut biennium, per aliquot dies singulis hebdomadis, studio pastorali vacent, aut alia ratione per certum tempus in re pastorali aptius instituantur » (cf. S. C. pro Clericis, Litterae circulares *De permanenti cleri, maxime iunioris, institutione et formatione*, 4 nov. 1969, nn. 16-21).

Prae oculis habita ea quae in *Ratione fundamentali* continentur, proponentibus Relatore et aliquo Consultore, locutiones « per annum aut biennium » et « per certum tempus » cum « certo tempore » et « per determinatum tempus » substituuntur. Placet canon cum emendationibus.

Canon 31 (C.I.C. 1357)

« § 1. Episcopo diocesano, aut si de Seminario interdioecesano agatur Episcopis quorum interest, competit quae ad Seminarii supremum regimen et administrationem spectant decernere, attentis praescriptis a Sancta Sede necnon ab Episcoporum Conferentia statutis.

§ 2. Episcopus dioecesanus, et si de Seminario interdioecesano agatur Episcopi quorum interest, frequenter Seminarium per se visitent, in formationem alumnorum spiritualem et ecclesiasticam necnon quae in eodem tradatur philosophicam et theologicam invilgent, et de alumnorum vocatione, indole, pietate ac profectu cognitionem omni ope sibi comparent, maxime intuitu sacrarum ordinationum conferendarum ».

Placet § 1, cum satis clare appareat, etiam per comparationem cum can. 13, quod Institutionis Ratio sit de competentia Conferentiae Episcoporum.

Quoad § 2: ut distinctius affirmetur quod, si agatur de Seminario interdioecesano, Episcopus tantum suos alumnos visitare potest, proponente aliquo Consultore post « in formationem » adiungitur « suorum ». Placet.

Canon 32 (C.I.C. 1360 § 1)

« Rectori Seminarii, cuius est cotidianum moderamen Seminarii, ad normam Institutionis Rationis ac Seminarii Ordinationis, curare, in propriis muneribus adimplendis omnes obtemperare debent ».

Placet.

Canon 33 (C.I.C. 1369 §§ 1 et 3)

« § 1. Seminarii rector, itemque, sub eiusdem auctoritate, moderatores et professores curent ut alumni normas Ratione Institutionis sacerdotalis necnon Seminarii Ordinatione praescriptas adamussim servent.

§ 2. Sedulo invigilent Seminarii rector atque studiorum moderator ut magistri suo munere rite fungantur, secundum praescripta Rationis Institutionis sacerdotalis ac Seminarii Ordinationis ».

Placet § 1.

Quoad § 2: cum nimis durum verbum « invigilent » hodie videatur, proponente aliquo Consultore, ponitur « provideant ».

Placet textus canonis.

Canon 34 (C.I.C. 1368)

« Exemptum a regimine (iurisdictionis) paroeciali Seminarium esto: et pro omnibus qui in Seminario sunt, parochi officium, excepta materia matrimoniali et firmo praescripto can. (891), obeat Seminarii rector eiusve delegatus ».

Placet.

Canon 35 (novus)

« Seminarii constitutioni, alumnorum sustentationi necnon professorum remunerationi providere debent Episcopus dioecesanus, aut, si de Seminario interdioecesano agatur, pro rata parte singuli Episcopi dioecesani quorum alumni in Seminario instituuntur ».

Principia generalia ponuntur de Seminarii sustentatione et postea in canonibus qui sequuntur peculiares dantur normae sive pro sustentatione sive pro recta eius administratione. Post « seminarii constitutioni » addatur « et conservationi ».

Placet textus canonis cum emendatione proposita.

Canon 36 (novus)

« Anno ineunte coetus deputatorum Seminarii de quo in can. 8, § 4, conficiat quaestuum et erogationum quae pro Seminarii administratio- ne praevidentur rationem, annoque vertente accepti atque expensi ra- tionem, ab Episcopis quorum interest probandas ».

Placet.

Canon 37 (C.I.C. 1355)

« Ut Seminarii constitutioni atque alumnorum professorumque su- stentationi provideatur, possunt Episcopi:

1º parochos aliasque ecclesiarum, etiam exemptarum, rectores iubere ut satis temporibus in ecclesia ad eum finem stipem exquirant;

2º tributum seu *taxam* in dioecesi imperare ».

Placet textus canonis cum emendationibus quae sequuntur: post « constitutioni », ut factum est in can. 35, adiungatur « et con- servationi » et post « provideatur » ponatur « si proprii reditus defi- ciant ».

Canon 38 (C.I.C. 1356)

« § 1. Tributo pro Seminario obnoxia sunt, quavis appellatione re- mota, reprobata qualibet contraria consuetudine et abrogato quilibet privilegio, mensa episcopal, quaelibet paroecia, quamvis alias redi- tus quam fidelium oblationes non habeant, christifidelium consociatio- nes publicae itemque privatae quae personalitate iuridica in Ecclesia gaudent, necnon domus religiosae, etsi exemptae, nisi solis eleemosynis sustententur aut in eis collegium discentium vel docentium ad com- mune Ecclesiae bonum promovendum actu habeatur.

§ 2. Tributum de quo in § 1 debet esse generale, reditibus eorum qui eidem obnoxii sunt proportionatum atque iuxta necessitates Semi-

narii determinatum, secundum praescripta Episcoporum Conferentiae regionis, a Sancta Sede probanda ».

Placet textus canonis, demptis tamen verbis « quavis appellatione remota » in § 1.

Conventus dd. 15-18 mart. 1971 et dd. 17-19 ian. 1972 habiti

Post redactionem textus superius indicati, nonnullae ex parte coetus Consultorum successive pervenerunt adnotationes, quae in conventibus dd. 15-18/III/1971 et dd. 17-19/I/1972 habitis consideratae sunt. Et in textus canonum lectione quae exinde facta est, hae, quae sequuntur, mutationes inductae sunt.

Canon 2

Loco « in Institutis religiosis » dicatur in « Institutis necnon Societatibus clericorum, quibus ius incardinandi competit ». Placet Consultoribus, etsi unus animadvertisit quod poni debet quaestio generalis de denominatione: in Concilii Decretis, ex. gr., numquam formula « Instituta perfectionis » adhibetur, quae tamen hodie multo invaluit.

Canon 3

Ad § 1, 1º: ex propositione alicuius Consultoris placet ut ante « Ecclesia » inseratur verbum « tota ». *Ad* 2º: post « vocationes », proponente Relatore, addatur verbum « suscitandas »: « vocationes suscitandas et excolendas ». *Ad* 3º: Alius Consultor desiderat ut aliud verbum adhibeatur ad exprimendam ideam de vitae ministerialis « valore », sed textus remanet sicuti est; sufficiens enim iudicatur adiectivum « eximum » sicuti in textu habetur. Post « parochi » adiungitur expressio « recta doctrina ». Placet canon.

Canon 5

In § 1, secundum propositionem aliquorum Consultorum, delen-
tur verba « pro regula generali habeatur ut » et textus § 1 incipit
a verbo « Adulescentes ». *Item in* § 2 loco « loci vel temporis adiuncta » dicatur tantum « personarum vel temporum adiuncta »; et post « casibus » adiungatur « peculiaribus ». *In* § 3 loco « amicitia » dicatur « habitudo ». Placet.

Canon 6

Idea, quam unus Consultor proposuit ut introducatur de fraterna, scilicet, dioecesani et religiosi cleri cooperatione, sicuti in secunda parte n. 21 *Rationis fundamentalis* habetur, non placet; ideoque textus remanet sicuti est.

Canon 7

Unus Consultor proponit ut in textu mentio fiat etiam de iis qui Seminarium reprezentare possunt. Relator proponit ut canoni alia paragraphus adiungatur, cuius textus sequens est: « In omnibus negotiis pertractandis personam Seminarii gerunt Episcopus dioecesanus, aut, si de Seminario interdioecesano agatur, coetus Episcoporum quorum interest, itemque Seminarii rector necnon qui ab Episcopo Episcopisve quorum interest, ad hoc deputantur ». Placet.

Canon 8

Quoad § 1: ob rationem lexicalem, ab aliquo Consultore propositam, textus hoc modo se habet: « ... composita inter se earundem coordinationis ratione ... ». Post « praesit » adiungatur « et si casus ferat vice-rector ». Placet.

Omnes propositionem alicuius Consultoris adversantur quod canon adiungatur de requisitis ex parte moderatorum Seminarii, rectoris nempe et professorum; exurgit enim ex convenientia rerum.

Quoad § 3, 2º: Suggestio reicitur alicuius Consultoris etiamque non necessario existimatur ut nomen pro singulis coetibus de quibus in nn. 1º et 2º huius paragraphi indicetur.

Unus Consultor suggerit ut totus numerus supprimatur. Respondet Relator quod praecise introductus fuit ut alumni partem in coetu habere possint. Post aliquam disceptationem textus manet prouti iacet.

Canon 9

Quoad § 1: unus Consultor vellet ut idea exprimatur sacerdotem, qui iter per Seminarium facit, potestatem audiendi confessiones habere; respondet Relator hoc pertinere ad materiam de confessione. Res sicuti est remanet.

Canon 10

Quoad § 1: iuxta propositionem unius Consultoris, post verba initialia « Ad Seminarium » adiungitur « maius »; et verbo « iudicantur », ex propositione Relatoris, substituitur verbum « aestimantur ». Placet. Quoad quaestionem de ex-seminaristis, quae ab aliquo Consultore posita fuit in anteacta Sessione, omnes plene conveniunt nihil dicendum esse, cum res melius ab Episcopo quam a Sancta Sede iudicetur. Ceterum textus canonis in § 3 satis rei providet.

In § 3 forma indicativa « dimissi sunt », « discesserunt » in coniunctiva vertatur: « dimissi sint », « discesserint ».

Canon 11

Textus remanet prouti est, mutato tantum verbo « institutionem » cum « formationem », ex propositione Relatoris.

Canon 15

Non necessaria omnibus videtur additio « et christianam » post « maturitatem humanam » quam unus Consultor postulavit. Textus placet sicut sonat.

Canon 16

Quoad § 2: iuxta alicuius Consultoris mentem, post « evolant », formula a Relatore proposita, adiungitur « ad spiritum missionalem efformentur, discentes ministerium in caritate semper impletum ad propriam sanctificationem praecipue conferre ». Placet.

Quoad § 3: propositio unius Consultoris, exprimendi nempe radicem amicitiae de qua in textu sermo est, quaeque in n. 47 *Rationis fundamentalis* « sacramentali fraternitate » indicatur, non admittitur.

Canon 17

Quoad § 1: ex difficultate quam unus Consultor movet, num non expedit prius sermonem instituere pro seminaristis de apostolico labore, Relator proponit ut dicatur « ... robur pro futuro apostolico labore et pro sua vita spirituali ex hoc ... ». Placet.

Propositio alicuius Consultoris quaerentis ut dicatur « in Seminario foveantur pietatis exercitia », non acceptatur et textus remanet prouti iacet.

Canon 18

In § 1, proponente aliquo Consultore, textus incipiat: « De officiis et oneribus ... ».

Canon 20

Quoad § 2: propositio unius Consultoris, ut loco « prout id expeditre videatur », ad ideam adaequate exprimendam, dicatur « si formatio humanistica et scientifica non est sufficiens », non habet assensum aliorum Consultorum. Remanet textus uti iacet. Post verbum « Institutionis » addatur « sacerdotalis » in utraque paragrapho.

Canon 22

Unus Consultor quaerit quid sibi velit expressio « introductio in mysterium Christi et historiam salutis », quae, quamvis in Concilii Decretis inveniatur, nemo tamen iam illo tempore quid esset sciebat, neque hodie ullus est qui sciat quid sit et quomodo facienda. Et hoc experientia docuit, nam in sua natione plura conamina in illo sensu facta sunt. Quare idem Consultor proponit ut verba illa deleantur: placet. Insuper post « tradatur » adiungitur « generalis »: placet. Proponente Relatore, loco « conspiciant » dicatur « addiscant ».

Canon 24

*Ad § 1: unus Consultor proponit ut mentio fiat praeterquam Sacrae Scripturae etiam Ecclesiae Patrum necnon Magisterii ecclesiastici. Post disceptationem, textus Constitutionis conciliaris *Dei Verbum* seligitur et canon sic sonat: « Lectiones habeantur ... speculativae, Verbo Dei scripto, una cum Sacra Traditione semper innixae ... ».*

Fons canonis est: Const. dogm. *Dei Verbum*, n. 24; Decr. *Optatam totius*, n. 16.

Canon 25

Ad mentem alicuius Consultoris, post « de quo in can. 8 § 3, 1º » adiungitur « necnon eiusdem rectore et professorum collegio ». Placet.

Canon 26

Propositio unius Consultoris de alumnorum labore in coetu commendando et observatio circa terminum « exercitationes » non admittuntur: ideoque textus sonat sicuti antea.

Canon 29

Alicui Consultori videtur nimis naturaliter sermonem fieri de arte pastorali exercenda, cui Cardinalis Commissionis Praeses respondet apostolatum semper aliquod supernaturale opus esse. Animadvertisit alius Consultor quod hic sermo de arte pastorali exercenda theoriae opponitur uti esset technica. Textus remanet prouti est.

Canon 30

Unus Consultor quaerit an hoc valeat tantum pro rerum pastoralium studio vel etiam de studiis theologicis: de his ultimis, dicit Relator, alio in loco sermo est.

Ad propositionem Cardinalis Praesidis, loco « studio pastorali » dicitur « studio rerum pastoralium ». Placet.

Post verbum « Institutionis » addatur « sacerdotalis ».

Canon 32

Ex propositione alicuius Consultoris deletur verbum « Seminarii », post verbum « rectori ». Placet.

Alius Consultor quaerit num expedit mentionem hoc in loco facere de vice-rectore. Cardinalis Praeses non expedire censet ne duplex videatur esse organum directionale Seminarii. Etiam in hoc canone post « Institutionis » verbum « sacerdotalis » addatur.

Canon 34

Cardinalis Praeses quaestionem movet an rector parochio aequiparetur quoad confessiones audiendas et tenet rectorem potestatem habere etsi non expedit ut eam exerceat. Respondet Relator quod per se rector potestatem habet non tamen licentiam. Notat unus Consultor quod can. 891 mandat ut « Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgente causa in casibus particularibus sponte id petant ».

Conventus dd. 13-17 oct. 1975 et dd. 3-7 maii 1976 habitu

Tribus transactis annis ab ultima canonum redactione opportunum visum est canones, etsi iam pluries recognitos et revisos, una simul adhuc perlegere et reconsiderare. Quod factum est in conventibus su-

perius indicatis; ita ut etiam maior harmonizatio haberetur.¹ Sacra Congregatio pro Educatione Catholica aliquas interea miserat ad Commissionem observationes, quae a Coetu Consultorum rite consideratae sunt.

Canon 3

Mutatur, in § 1, « ut necessitatibus ministeriorum » cum « ut necessitatibus ministerii ».

Canon 4

Ad § 1: post « existunt » adiungatur « atque foveantur ».

Ad § 2: unus Consultor praeferreret ut supprimeretur. Relator, e contra, tenet § 2 servari posse quia iudicium de iuvenum admissione ad Episcoporum Conferentiis relinquitur. Replicat Consultor Conferentias Episcoporum admissions decernere posse etiamsi in Codice praevisum non sit.

Propositio quae habetur in animadversionibus ex officio enuntiatis, ad hanc paragraphum quod attinet, haec continet:

« Ammettere positivamente, anche se con il benestare della Conferenza Episcopale, la possibilità di ospitare nel Seminario Minore anche alunni che non aspirano al sacerdozio, significa alterare la natura propria di tali Istituti.

A tale proposito sarebbe meglio formulare prima chiaramente il principio di rispettare la natura propria del Seminario Minore, e, poi, segnalare quell'altra eventualità concernente i giovani non aspiranti al sacerdozio soltanto come eccezione da autorizzare dalla Conferenza Episcopale.

Cf. per es.: “Seminaria minora” natura sua destinata sunt ad iuvenes excipiendos qui signa vocationis sacerdotalis praebent vel saltem eandem positive non excludunt; nonnisi gravi de causa et iudicio Episcoporum Conferentiae admitti possunt etiam iuvenes virtute quidem praestantes, sed ad sacra ministeria non adspirantes ».

Post disceptationem Consultorum maioritas praeoptat ut textus servetur prouti iacet.

¹ In paginis quae sequuntur tantum canones recensentur quorum textus aliquas subiit mutationes, vel pro quibus factae sunt observationes.

Canon 5

Ad § 1: disceptationi submittitur propositio ex officio, quae haec habet: « Si suggerisce di sostituire il testo proposto — anche in deroga a quanto precedentemente indicato ex officio — con il seguente:

“ Iuvenes, qui, studiis mediis peractis, ad sacerdotium accedere intendunt, ad formationem spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria instituantur in Seminario maiore, sive per totum formationis tempus, sive, si de iudicio Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae aliud circumstantiae suadeant, per quattuor vel tres saltem annos ”.

« *Motivo:* la formula proposta dalla Pontificia Commissione non è del tutto chiara in quanto potrebbe includere anche gli alunni del Seminario minore, come si può ben rilevare confrontando la stessa con il can. 972 C.I.C.: “ Curandum est ut ad sacros ordines adspirantes inde a teneris annis in Seminario recipiantur; sed omnes ibidem commorari tenentur saltem per integrum sacrae theologiae curriculum, nisi ... ” ».

Unus Consultor proponit ut in ista paragapho particulae « sive ... sive » tollantur et textus remaneret: « ... in Seminario maiori, per totum formationis tempus, si de iudicio Episcoporum Conferentiae ... ».

Suggestionibus propositis disceptatis, convenit ut textus remaneat sicuti est, salvis sequentibus emendationibus: dicatur « Iuvenes » loco « Adolescentes »; post « sive, si » adiungatur « exceptionis gratia »; et loco « per tres vel quattuor saltem annos » dicatur « per quattuor vel saltem per tres annos ».

Ad § 2: considerata fuit propositio ex officio facta, quae sic sonat: « Anche qui per sottolineare il carattere eccezionale della formazione fuori del Seminario, bisognerebbe sostituire l'autorizzazione positiva (“ eandem formationem recipere possunt ”) con una formulazione più restrittiva, come per es.: “ Extra Seminarium sacerdotalis formatio haberi non potest, nisi in certis personarum vel temporum adjunctis, ab Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae probe perpendis ” ».

Placet tamen Consultoribus textus prouti iacet.

Ad § 3: ex officio proponitur aliqua propositio quae sic sonat: « Per indicare che un legittimo soggiorno fuori del Seminario durante il tempo della formazione si può avere soltanto come eccezione, per la via della dispensa, sarebbe bene sostituire la parola « legitime » con la frase: “ de-

bita obtenta licentia » . Re considerata, textus probatur prouti iacet, adiuncto tantum post « Ordinario » verbo « loci ».

Canon 6

Propositio ex officio facta haec habet: « Per essere fedeli al Decr. *Optatam totius*, n. 7, bisogna aggiungere alla fine del testo: "Haec vero Seminaria, si regionalia sint vel nationalia, regantur iuxta statuta ab Episcopis quorum interest condita et ab Apostolica Sede probata". Sic etiam sanxit Pontificia Commissio Decretis Concilii Vaticanii II interpretandis ».

Relator aliam textus formulationem proponit, quae praecise ius pro omnibus dioecesibus proprium Seminarium habendi contineat. In casu necessitatis plures Episcopi in unum convenire possunt pro Seminario interdioecesano constituendo. Si de Seminario regionali vel nationali agitur, necesse est ut Apostolica Sedes suam det approbationem. En textus:

« Pro regula habeatur ut singulis dioecesibus sit Seminarium maius, ubi id fieri possit atque expedit; secus, secundum Episcoporum dioecesanorum aestimationem, aut concrederantur alumni qui ad sacra ministeria sese praeparent Seminario aliis dioecesis aut erigatur Seminarium interdioecesanum, pro diversis insimul dioecesibus; quod vero Seminarium, si regionale sit (vel nationale), pro universis scilicet dioecesibus alicuius regionis ecclesiasticae vel nationis aut districtus regionalis, ne erigatur nisi prius obtenta ab Episcoporum Conferentia approbatione Apostolicae Sedis, tum ipsius Seminarii erectionis tum eiusdem statutorum ». Omnibus placet.

Canon 8

Ad § 2: proponitur ex officio: « La libertà di scelta riservata ai seminaristi di poter scegliersi il direttore spirituale ed il confessore "inter alios sacerdotes" potrebbe dare luogo ad una certa anarchia nella formazione spirituale, dal momento che non tutti i sacerdoti sono adatti ad impartirla. A questo inconveniente si è cercato di ovviare nella *Ratio fundamentalis* (dietro l'espresso desiderio di parecchi Vescovi) con l'aggiunta: "plane libertate sibi elegantur inter eos, qui ad hoc munus idonei ab Episcopo deputati sunt" (cf. *Ratio fundamentalis*, n. 55). Bisogna pertanto considerare bene la convenienza o meno di inserire una simile cautela nei sopraccitati canoni ».

Propositio tamen a Consultoribus admissa non est et textus remanet prouti iacet.

Ad § 3, n. 1º: supprimuntur verba « audito Consilio presbyterali »; *n. 2º:* unus Consultor proponit ut verba « secundum praescripta Episcoporum Conferentiae » deleantur et alias Consultor ut « immo vel » mutetur in « atque ». Quae propositiones ab aliis acceptantur.

Proponitur ex officio: « La frase: “ qui ad disciplinam praesertim in Seminario servandam rectori operam praestent ” merita qualche leggero ritocco. Qui si tratta evidentemente di un “ coetus ” per la disciplina. Perché la cooperazione auspicata degli alunni non abbia soltanto come un aiuto per il mantenimento della disciplina sarebbe bene aggiungere dopo le parole “ disciplinam praesertim ” “ et universam Seminarii vitam promovendam rectori operam dent ”. Un tale testo sarebbe più conforme allo spirito ed alle intenzioni del n. 24 della *Ratio fundamentalis* ». Haec propositio non acceptatur.

Ad § 4: ex propositione alicuius Consultoris post « temporalium administratione » verba « cuius consilium Episcopus in negotiis maioris momenti petere debet, cuiusque membra... » inseruntur. Incisum « audito item Consilio presbyterali » supprimitur. Post « vel » deletur « etiam ».

Canon 10

Ad § 2: loco « baptimate » dicatur « baptismo ».

Ad § 3: loco « religioso » dicatur « vitae consecratae » et loco « Superiore » dicatur « Moderatore ».

Canon 11

Aliquis Consultor praeoptaret ut iste canon supprimeretur, quia ei non placet quasi institutionalizatio quae in canone fit de casibus qui exceptionales remanere debent. Cardinalis Praeses istos casus reservandos esse Episcopis et non Conferentiis dicit.

Pro nunc textus remanet prouti iacet, nonobstante etiam propositione ex officio facta, quae ita sonat:

« In questo canone dedicato alla “probatio” dovrebbe risaltare con maggiore chiarezza il triplice tirocinio (spirituale, pastorale e diaconale) contemplato nel n. 12 del Decreto *Optatam totius* e nel n. 42 della *Ratio fundamentalis*. In tal modo sarebbero più intuitibili i veri motivi delle prove previste in questo canone ».

Canon 13

Ad § 2: ex propositione unius Consultoris, supprimuntur verba «cleri dioecesani» post «serventur in omnibus».

Canon 15

Unus Consultor animadvertisit hunc Canonem in canone 16 iam substantialiter contineri. Et rogatur Relator ut breviorem textum componat, quo vitentur repetitiones eorum quae in can. 16 habentur et homiliae forma arceatur. Textus a Relatore propositus est qui sequitur:

«Alumnorum in Seminario formatio spiritualis ac institutio doctrinalis et pastoralis harmonice componantur atque ad id ordinentur ut iisdem maturitatem humanam, uniuscuiusque indoli convenientem, assuantur insimulque spiritu Evangelii reapse imbuantur».

(cf. Decr. *Optatam totius*, n. 4; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 8, 11 et 12).

Unus Consultor obiectionem movet quia in textu prius sermo instituitur de maturitate humana tanquam finis principalis totius formationis dein de spiritu Evangelii. Disceptatio sat longa instituitur cuius in fine Relator proponit ut post «ad id ordinentur» dicatur «ut iisdem iuxta uniuscuiusque indolem una cum debita maturitate humana spiritum Evangelii acquirant adeo ut apta instrumenta Christi sacerdotis efficiantur». Placet.

Canon 16

Post disceptationem, item pro hoc canone, rogatur Relator ut novum proponat textum, quo vitentur repetitiones eorum quae antea iam habentur. Textus Coetui submissus, hic est:

«§ 1. Spiritualis institutio ita impertiatur ut alumni fide viva evangelicaque caritate qua emineant apti sint qui ministerium pastorale fructuose exerceant et ad spiritum missionalem efformentur discentes ministerium in caritate impletum ad propriam praecipue sanctificationem conferre; illas excolere discant virtutes quae in hominum consortione pluris fiunt et ipsa caritate christiana requiruntur, ita quidem ut ad harmonicam conciliationem bona humana inter et supernaturalia pervenire valeant.

§ 2. Ita formentur alumni ut amore Ecclesiae Christi reipsa sint imbuti, Pontifici Romano Petri successori humili et filiali caritate deicti atque proprio Episcopo tanquam fidi cooperatores adhaerentes et sociam cum fratribus operam praestantes; per vitam in Seminario communem atque per amicitiae coniunctionisque necessitudinem cum aliis excultam praeparentur ad unionem communitatis dioecesani Presbyterii, cuius in Ecclesiae servitio erunt consortes ».

Ad § 1: post disceptationem, omnibus consentientibus, textus ita corrigitur: « Institutio spiritualis ita ... ut alumni apti fiant qui ministerium ... exerceant et ad spiritum ... ministerium in fide viva et in caritate impletum ad propriam aptius sanctificationem ... pluris fiant, ita quidem ut ad conciliationem ... ».

Ad § 2: placet, dempto verbo « reipsa ».

Canon 17

Ad § 1: placet, sed post « ita ut » adiungatur « cotidie »; loco « pro sua vita » dicatur « pro vita sua »; in fine loco « hauriantur » dicatur « hauriant ».

Ad § 3: placet, demptis verbis « Institutionis sacerdotalis Ratione ».

Ad § 5: dicatur tantum « Singulis annis alumni exercitiis spiritualibus vident », ceteris demptis.

Canon 18

Ad § 1: placet, sed post « quae ministris » adiungatur « sacris ».

Ad § 2: placet, tamen, ex propositione unius Consultoris, loco « aptis mediis » dicatur « congrua educatione ». Alter Consultor proposuerat « omnibus aptis mediis ».

Canon 20

Ad § 1: unus Consultor proponit ut sequens, vel similis, propositione in textu inseratur: « quod si hac in formatione, in aliquibus casibus, quaedam desint ad studia philosophica et theologica necessaria, eadem praeparatio, prioribus praesertim ... ». Post disceptationem, observatione supradicti Consultoris attenta, textus ita probatur: « Licet ... can. 4 § 3, ordinarie ad Seminarium ... formatio praesertim si quae deficiant, prout id ... compleatur aut tradatur, secundum ... ».

Canon 22

Unus Consultor post « disciplinis ... apte compositis » proponit ut verba Concilii addantur « mysterium Salutis ita proponatur ... ». Propositio valde disputatur et controversia per suffragium solvitur. Majoritas suffragiorum tenet textum remanere posse prouti iacet.

Canon 23

Placet, dempto verbo « reapse ».

Canon 24

Ad § 1: placet, sed ex propositione unius Consultoris verba « ministerium exercentes » mutantur cum « in ministerio exercendo ».

Ad § 2: placet, sed ex propositione alterius Consultoris tollitur verbum « praevia » et citatio Encyclicae in fontes remittitur.

Ad § 3: placet, sed « Ius canonicum » ante « Liturgiae » collocandum est.

Canon 25

Ad § 1: placet, sed post « laurea doctorali » adiungatur « vel saltem licentia ». Et verba « aut si agatur ... donati sunt » supprimantur.

Ad § 2: post disceptationem, majoritas Consultorum, ne regulae ponantur quae postea non acceptentur, praefert ut in textu dicatur: « Curent ut distincti ... Theologiam moralem, Philosophiam, Ius canonicum, Historiam ecclesiasticam aliasque ... ».

Canon 26

Supprimitur § 2.

Ad § 3: unus Consultor preferret quod suppressa remaneat ista § 3, cum non pertineat ad Codicem methodum laboris scientifici determinare. Contradicit Relator qui tenet hanc § remanere debere. Controversia per suffragium solvitur: 7 Consultores preferunt ut § 3 remaneat prouti est.

Canon 28

Ad § 1: unus Consultor animadvertisit aliquam dari tautologiam in ista paragraphe, cum institutio pastoralis per aliquid pastorale definatur. Post varias propositiones textus qui probatur est sequens: « Di-

ligenter ... in cultu divino, praesertim sacramentis celebrandis, in commercio cum hominibus ... non creditibus, habendo, in paroecia ... in ceteris muneribus adimplendis ».

Ad § 2: omnes convenient ut supprimatur.

Ad § 3: textus qui probatur sequens est: « Edoceantur ... necessitatibus, ita ut sollicitudinem habeant de quaestionibus missionalibus, oecumenicis necnon de aliis, socialibus quoque, urgentioribus ».

Canon 29

Ex propositione alicuius Consultoris aliquae modificationes introducuntur, quapropter textus probatus sequens est: « Ut ... alumni, studiorum ... decurrente praesertim vero feriarum tempore ... sub moderamine semper sacerdotis periti, exercitationes ... ».

Canon 30

Unus Consultor animadvertisit quod in textu istius canonis de neosacerdotibus agitur, dum nunc tractatio est de institutione clericorum. Omnes convenient ut supprimatur, eo vel magis quod, sicut animadvertisit Relator, res iam in alio schemate habetur.

Canon 31

Ad § 2: placet cum sequentibus emendationibus: « aut » loco « et si de Seminario »; « ipsi » loco « per se visitent »; auferatur « omni ope ».

Canon 32

Placet cum aliqua verborum transpositione: « Rectori ... moderamen curare Seminarii, ad normam quidem institutionis ... Ordinationis, omnes in propriis muneribus adimplendis obtemperare debent ».

Canon 35

Ne tota Seminarii et professorum sustentatio in Episcopum personaliter incidat, aliquis Consultor proponit ut maius pondus in dioecesim transferatur, quapropter textus hoc modo modificatur: « Episcopus dioecesanus aut, si de Seminario interdioecesano agatur, pro rata parte

singuli Episcopi dioecesani quorum alumni in Seminario instituuntur, curare debent ut provideatur Seminarii constitutioni et conservationi, alumnorum sustentationi necnon professorum remunerationi ».

Canon 38

Ad § 1: placet, mutato verbo « religiosae » cum « domus Institutorum vitae consecratae ».

Unus Consultor vellet ut aliqua dicantur de christifidelium obligatione ad sustentationem Seminarii quod attinet. Alter Consultor proponit ut inseratur n. 3 in can. 37. Res tamen cadit, sed secundus Consultor optat ut in actis referatur (M. De Nicolò, *Actuarius*).

III

COETUS STUDIORUM DE IURE POENALI

Postquam brevis relatio de animadversionibus generalibus circa schema canonum de iure poenali, ab episcoporum Conferentiis et a ceteris Organis consultationis prolatis, data est,¹ hic conspectus summae exponitur de suggestionibus ad singulos canones factis necnon de rationibus quae in nostra Commissione in eisdem perpendendis expressae sunt. Laborem enim incepit Coetus aliquis, cui munus commissum est animadversiones illas attentissime examinandi ita ut illae mutationes in Schema introducenda proponantur quae opportuniores videantur, quaeque in ulteriori instantia, secundum ordinem laborum nostrae Commissionis, in Schemate definitivo novi Codicis inserantur.

Adunatio I

I. DE DELICTORUM PUNITIONE GENERATIM

Canon 1, § 1

Nativum et proprium Ecclesiae ius est christifideles poenalibus sanctionibus coercendi qui legem vel praeceptum violaverint vel scandalum dederint.

¹ Cfr. *Communicationes*, 7, 1975, pp. 93-97.